

laei, nisi id expresse prohibeatur in Bulla. Praeterea jejunium, si praescribatur, servandum est ab omnibus lucraturis Jubilaeum, etiam a pueris, infirmis, et laborantibus, et alias dispensatis, nisi id Confessarius commutet. Ita *Laym.* l. c. cap. 8. n. 12.

665. Q. VI. Quid observandum circa eleemosynam, si exigatur a Bulla? R. 1. Danda est ab omnibus, qui Jubilaeum lucrari volunt, et quidem juxta *Navar., Regin., et Alloza*, secundum cujusque facultatem; juxta *Dian.* vero et *Rodrig.* sufficit etiam modica, si Bulla nihil determinet. 2. Probabilius pauperes etiam ad eam tenentur, aut debent petere commutationem, quia nemo tam pauper est, qui dare non possit obolum vel nummum, aut ab alio petere, quem ipse postea elargiatur. *Viva* l. c. a. 6. contra *Faustum*. 3. Haec eleemosyna secundum communem debet esse corporalis, sive aliquod opus ex 7. operibus misericordiae corporalis; hinc nomine eleemosynae etiam venit, domi excipere pauperem etc. Ita *La Croix* l. c. n. 1426. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 32. *Excipe*, nisi expresse aliud in Bulla exprimeretur.

666. Q. VII. Quid notandum sit circa facultatem absolvendi tempore Jubilaei? R. 1. Conceditur potestas absolvendi a reservatis, per quae intelliguntur casus Papales, et Episcopales: *excipe* casus Bullae Coenae, qui si non exprimantur in Bulla, etiam non datur facultas ab iis absolvendi; quia specialiter reservata specialiter exprimi debent. *Jansen.* p. 2. cas. 102. n. 6. Vide *Viva* l. c. q. 11. a. 1. An vero concedatur facultas absolvendi ab haeresi, dum conceditur in Bulla facultas a reservatis in Bulla Coenae, controversatur ab AA. Affirmativam tenent *Sotus, Corduba, Regin., Fagundes, Gobat* et alii, saltem pro foro conscientiae. Contrariam ut communem et tenendam defendit *Viva* l. c. cum *Suar., Vasq., Palao* et alii, eoque *Sixtus V.* anno 1589. et *Clemens VIII.* 1594, cum concessissent facultatem absolvendi a casibus Bullae Coenae, concesserint in specie etiam potestatem absolvendi ab haeresi; ergo non videtur in generali concessione illa facultas includi. *Confirm.* 2. ex cit. epist. circulari *Benedicti XIV.* ad poenitentiarios minores, ubi §. 2. n. 38. de data hoc tempore Jubilaei poenitentiarii Romae auctoritate absolvendi a censuris etiam reservatis in Bulla Coenae et ab omnibus peccatis, expresse innuit: *Non intelligitur unquam concessa auctoritas absolvendi ab haeresi externa, tametsi verba indulti universalis sint aut universalissima, si haeresis illa expresse et in individuo nominata non sit.*

667. R. 2. Praeterea conceditur facultas absolvendi in foro conscientiae ab excommunicatione, suspensione, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, non item ab irregularitate ex delicto, ut defendit *Viva* l. c. q. 10. a. 1. contra *Bossium, Henrig.* et alios; quia ordinarie in Bulla Jubilaei expresse dicitur, quod nemini liceat super ulla irregularitate dispensare: ergo cum Bulla non distinguat inter irregularitatem ex delicto, et ex defectu, nec nobis licet ita distinguere. Adde, quod juxta communem irregularitas ex delicto proprie non sit censura; censura enim tollitur per absolutionem, seu per actum judicalem, irregularitas vero per dispensationem. Praeterea *notandum*, quod poenitens, antequam absolvatur a censura, prius debeat satisfacere parti laesae. Vide *Viva* l. c. q. 10. a. 2.

668. Q. VIII. Quid notandum sit circa commutationem votorum? R. In Jubilaeis non censetur concessa facultas commutandi vota, vel in iis dispensandi, nisi illa facultas exprimat in Bulla. Ita declaravit *Benedict. XIV.* in cit. epist. circulari n. 47. *Ibid.* innuit, quod *commutare vota dispensando* idem sit, ac materiam operis pii, in quod votum commutatur, et quod in sola commutatione deberet esse majus vel aequale voto, possit aliquantisper recedere ab aequalitate cum voto. Ac proinde Confessarii bene

attendant, an et qualis concedatur in Bulla facultas circa commutationem votorum; dispensandi enim potestas ordinarie non solet concedi. Pro praxi vota commutandi statuit *Lohner*: 1. Attendendum esse ad circumstantias. 2. Materiam subrogatam non debere necessario proportionari materiae promissae quoad magnitudinem, durationem et numerum; sed sufficere, si sit aequalis officii divini, vel certe non notabiliter minoris. 3. Spectandum esse finem, et fragilitatem voventis. Sic votum non nubendi mutari potest in confessionem et communionem menstruam quamdiu erit in matrimonio, una cum alio pio opere, v. g. eleemosyna aliquot septimanis distribuenda, vel certis precibus persolvendis. Plura vide de commutat. vot. P. I.

669. Q. IX. An dictae facultates exerceri possint extra confessionem sacramentalem? Ad hanc quaest. *Bened. XIV.* in laudata epist. circul. n. 63. postquam variorum AA. sententias erudite examinavit, ita pro nostro Jubilaeo respondit: *Nos vero ad tollendam e medio omnem ambiguitatem in instructionibus adjunximus, a poenitentiariis dari non posse absolutiones, commutationes, et dispensationes quascumque extra actum sacramentalis confessionis; hoc quippe nobis visum est debitum et proportionatum gravitati materiae, et qualitati ministerii, conducens ad rescindendam omnem litem, ac pariter conforme praxi nostrae poenitentiariae.*

#### ARTICULUS IV. De absolutione, et ministro poenitentiae.

##### §. I. Praenotanda.

670. Praenot. I. Forma Sacramenti poenitentiae sunt verba, quae Sacerdos administrando hoc Sacramentum profert: de his *Trid.* sess. 14. cap. 3. ita innuit: *Docet praeterea S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc., quibus quidem de Ecclesiae S. more preces quaedam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Unde in Theol. Schol. graves AA. cum *S. Thom.* p. 3. q. 84. a. 3. cum *S. Antonino* et aliis docent, essentiam formae consistere in solis verbis: *Absolvo te*; tum quia *Florent.* et *Trid.* ea sola exprimunt, tum quia haec se solis exprimunt personae judicis, personam rei, ejusque absolutionem, et circumstantia personae confitentis peccata sua satis determinat et significat, absolutionem cadere super peccata illius. Alii cum *Paludano, Soto* etc. docent, ad essentiam pertinere haec verba: *Absolvo te a peccatis*: tum quia Christus *Joan.* 20. instituens hoc Sacramentum expressam fecit mentionem peccatorum: *Quorum remisistis peccata* etc.; tum quia *Flor.* et *Trid.* ad *absolvo te* apponunt *et* etc., tum quia verba, *absolvo te* sunt indifferentia ad absolutionem a peccatis, et censuris: ergo ut determinate significant absolutionem a peccatis, debent determinari per haec: *a peccatis tuis*; quae sententia cum sit tutior, in praxi est praefenda; agitur enim de valore Sacramenti. Plura vide in Theol. Schol. Nobis incumbit investigare, quomodo in praxi danda sit absolutio, quae est remissio peccatorum poenitentis facta a Sacerdote vi clavium, non autem pura declaratio peccatorum remissorum, ut constat ex *Trid.* sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicalem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, ... anathema sit.* Unde porro colliges, hanc formam non esse deprecatoriam, cum sit verus actus judicialis. Sensus autem illius, quem verba de se important, est: *Ego te sententia judiciali loco Dei a peccatis tuis absolvo.* Juxta alios idem sonant, ac: *confero tibi*

gratiam remissivam peccati, vel juxta *S. Th. tibi impendo Sacramentum absolutionis*. Vide *La Croix* l. 6. p. 2. n. 64.

671. II. Minister Sacramenti poenitentiae est solus Sacerdos. Patet tum ex *Joan.* 20. ubi solis Apostolis, eorumque successoribus a Christo dictum est: *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata etc.* tum ex *Flor.* et *Trid.* quod sess. 14. can. 10. ita definit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram . . . et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis . . . quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.* Nunc inquirendum, quid requiratur ad hoc, ut Sacerdos valide ac licite absolvat; et quid porro pertineat ad munus Confessarii.

§. II. Principia practica de absolutione, ejusque ministro.

672. Principium I. Absolutio in praxi sic confertur: 1. Antequam poenitens confiteatur, Sacerdos formando signum crucis super ipsum dicit: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.* 2. Audita confessione cum poenitentem (ut habet *Rituale Rom.* auctoritate *Pii V.* editum) absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta poenitentia salutari, dicit: *Misereatur tui, omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (si poenitens sit in ordine sacro constitutus, additur suspensionis, alias, si nequidem sit subdiaconus, haec vox omittitur) et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.* Postea subjungit: *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.* Item *Rit. Rom.* addit, in confessionibus frequentioribus, et brevioribus omitti posse: *Misereatur, et Indulgentiam, et satis esse dicere: Dominus N. J. C. etc.* usque ad *Passio Domini N. etc.* Urgente vero gravi aliqua necessitate in periculo mortis breviter dici posse: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.*

673. Porro ad absolutionem sacramentalem requiruntur verba formalia, ita ut non sufficiat solus nutus, vel aliud signum sine verbis formalibus. Quamvis enim absolutio in foro externo subsistat, quae fit scripto; absolutionem tamen a peccatis verbis formalibus fieri debere ex institutione Christi, satis constat primo ex *CC.*, cum *Flor.* in decreto *Eugenii IV.* expresse dicat: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo etc.* Vide etiam *Trid.* mox citatum n. 670. Secundo, ex perpetuo usu Ecclesiae. Tertio, ex communi sententia Theologorum, quam plerique cum *Suar.* hic D. 19. sect. 1. n. 3. vocant certam. Quarto, denique etiam ex communi sensu fidelium.

674. Absolutio non potest absenti dari, ideoque ad hoc, ut poenitens valide absolvatur a Confessario, debet ei esse moraliter saltem praesens. Probatur primo ex eo, quod *Clem. VIII.* decreto 16. Junii 1602. edito damnaverit ad minus ut falsam, temerariam, et scandalosam hanc propositionem, scil. licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacra-

mentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere. In eodem Decr. sub excommunicatione ipso facto incurrenda Romano Pontifici reservata prohibuit, ne ullus deinceps talem propositionem tanquam in aliquo casu probabilem defenderet, doceret, imprimeret, aut in praxim aliquo modo deduceret. Prob. secundo ex perpetua Ecclesiae praxi, quae nunquam consuevit dare absolutionem absenti; constans autem Ecclesiae praxis in materia Sacramentorum satis indicat, hanc et non aliam Christi voluntatem ac institutionem esse. Prob. tertio ex ipsa forma, ubi pronomen demonstrativum *Te* non videtur apte posse dirigi ad absentem in negotio conscientiae. *Viva* in Append. ad propos. damn. §. 10., ubi ex declaratione *Pauli V.* die 14. Julii 1605. facta in Congr. S. Officii, affirmat, quod absolutio, et confessio absentis non solum in sensu copulativo, sed nec in sensu divisivo liceant, ita ut neque absolutio in absentia valeat, quamvis confessio fuerit facta in praesentia Sacerdotis, neque liceat confessio in absentia facta, quamvis deinde absolutio conferatur in praesentia Sacerdotis. *Dicastillo* e contra D. 9. a n. 831. apud *La Croix* l. c. n. 1195. et gravissimi AA. docent, declarasse eundem *Clementem*, quod confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem a praesente Sacerdote accipiendam, adeoque hi putarunt propositionem dictam non esse damnatam *divisive*, h. e. quoad singulas partes, sed *complexive* propter partem posteriorem falsam.

675. Neque dicas I. Refert *Baronius* ad annum 1164. Thomam Cantuariensem misisse internuntium ad Pontificem pro absolutione a culpa, siquam contraxisset ob aliquam cum Rege conniventiam circa violationem immunitatis Ecclesiasticae. R. S. Episcopus, cujus bonae mentis erat, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est, seipsum suspenderit a Missa celebranda, qua suspensione ut liberaretur, confugit ad Romanum Pontificem; *Alex. III.* rescripsit paterne, et monuit tantum, ut Confessario discretè confiteretur, si forte conscientiae remorsibus tangeretur, ut videre licet apud. cit. *Baron.*

676. Nec dicas II. In judicio forensi rite fertur sententia absolutoria in absentem: item absolutio a censuris rite fertur absenti: ergo a pari. R. N. C. A praxi et traditione Ecclesiae satis ostenditur, in hoc differre judicium sacramentale a forensi ex institutione Christi. Quoad secundum, sicut absolutio a censuris etiam potest conferri invito, ita pariter conferri potest absenti, eoquod pendeat ab institutione humana; absolutio vero sacramentalis unice pendens ab institutione Christi sicut nequit invito conferri, ita nec absenti. *Viva* l. c. Addit *Duarte V.* absolutio n. 15., id patere ex variis Rescriptis et Bullis Pontificum.

677. Dixi supra, quod absolvendus debeat esse saltem moraliter praesens Confessario; quamvis enim ordinarie physica praesentia requiratur, sufficit tamen, si poenitens moraliter praesens sit, ita ut Confessarius ipsi voce communi, h. e. qua colloquentes communiter uti solent, licet etiam paulo elatiore, loqui possit. Sic posset quis e fenestra absolvere poenitentem jacentem in platea et graviter vulneratum: item stans in littore naufragium passurum in torrente: pariter, ut saepe contingit, si poenitens post injunctam poenitentiam mox abeat, poterit Confessarius discedentem absolvere, si illum prope adhuc videat, quia adhuc moraliter est praesens: secus si eum non amplius videat, vel audiat, nec sciat ubinam sit. *Stoz* l. 2. n. 100. cum *Tamb.*, ubi praeterea addit, illum omnino invalide agere, qui extra domum in platea stans absolveret in superiore aliquo domus cubiculo jacentem, quem ante oblitus erat absolvere; quia hic absolvendus ei nec physice, nec moraliter praesens est.

678. Princip. II. Ad valide absolvendum rite poenitentem requiritur

in ministro 1. legitima et completa potestas *Ordinis*, 2. *jurisdictionis*; 3. *intentio absolvendi sacramentaliter, eaque vel actualis, vel virtualis*. De hac supra n. 49. et seq. Item a n. 51. 60. 65. 75. etc. Dixi, *completa potestas Ordinis*, h. e. non tantum potestas in Corpus Christi verum, sed etiam in Corpus Christi mysticum. Haec postrema (quae vocatur etiam potestas solvendi, atque ligandi, sive *Clavium*) datur quidem in ipsa ordinatione, sed est tantum facultas absolvendi *radicalis, et in actu primo*: ideoque ad ejus usum requiritur *Jurisdictio*, et ad delegatam jurisdictionem respectu saecularium accipiendam *Approbatio*. De hac jure novo *Trid.* sess. 23. cap. 15. de Reform. ita habet: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, et alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus*. De jurisdictione *Trid.* ita docet sess. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*.

679. Circa approbationem sequentia observanda sunt. I. Per approbationem secundum se et incomplete sumptam hic intelligitur authenticum testimonium Episcopi, vel ejus Vicarii de idoneitate Sacerdotis ad excipiendas confessiones: sic differt a jurisdictione, quod haec sit actus voluntatis dans potestatem expeditam absolvendi: approbatio autem sit actus intellectus circa idoneitatem Sacerdotis. Approbationem complete sumptam erudite definit *Clericatus* de Poenit. decis. 37. n. 3.: *Approbatio Confessarii est judicium Episcopi vel ejus Vicarii de ejus idoneitate quoad scientiam et probitatem, simulque concessio Jurisdictionis pro audiendis et absolvendis poenitentibus in foro interno ac sacramentali*. Superior enim, qui debet approbare, reflectendo ad interrogata et responsa (cum praevis approbandum vel per se, vel per alios examinaverit), vel reflectendo ad ejusdem scientiam, pietatem, et mores aliunde sibi cognitos, judicium fert, an sit idoneus, nec ne, quod judicium internum signo externo, verbo, vel scripto manifestat declarando, eundem esse idoneum, quae declaratio fit vel praevis, et separato testimonio idoneitatis, vel per concessionem actualem ipsiusmet jurisdictionis.

680. II. Est igitur approbatio omnibus Confessariis necessaria, ita ut ea deficiente nulla sit jurisdictione, et consequenter nulla etiam absolutio, ut probant *Sanch.* L. 6. de matrim. d. 28. n. 20., *Coninck* et alii, tum ex eo, quod *Trid.* cit. n. 678. expresse dicat, nullum Sacerdotem posse sine approbatione excipere confessiones; tum ex auctoritate Cardinalium, qui sic declararunt mentem Concilii, contra alios apud *Stoz* L. 2. q. 2. n. 32. Excipiuntur tamen primo Parochi, quos Concilium ipsum excipit, qui hoc ipso, quod ipsis ab Episcopo animarum cura committatur, ad confessiones suorum excipiendas approbari censentur. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 11. Standum tamen est statutis dioecesium, ubi ante praesentationem solent prius approbari ex praevis examine, et jurisdictione expresse concedi. Secundo, excipiuntur Confessarii Religiosorum: cum enim Decretum *Trid.* novam suam ordinationem restrinxerit ad confessionem saecularium, hinc (ut infert *Laym.* l. c.), Regulares possunt cuique Sacerdoti, quem Praelatus

ipsis secundum Ordinis statuta constituerit, confiteri, tametsi ab Episcopo approbatus non fuerit, quantum est ex vi hujus Decreti, ut addit *Stoz* l. c. n. 33. Confessarii tamen Monialium debent approbari ab Episcopo ex speciali Constitutione *Gregorii XV.* quae incipit: *Inscrutabili*, ubi ita statuitur: *Confessores vero sive Regulares, sive Saeculares, quomodocumque exempti, tam extraordinarii, quam ordinarii ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei judicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant*.

681. Circa jurisdictionem observanda sunt sequentia. I. Nomine jurisdictionis hic intelligitur potestas alios tamquam subditos in foro conscientiae judicandi. Haec duplex est: *Ordinaria*, quam quis habet vi officii sui, cui annexa est cura animarum: talem habet summus Pontifex in omnes Christi fideles, Episcopus in dioecesanos, Parochus in parochianos, et, juxta *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. n. 3., Praelati exempti comparatione suorum subditorum. *Delegata* jurisdictione est, quae alicui competit ex concessione Ordinarii, ut idem *Laym.* ait l. c. Utriusque mentio fit in Decreto *Eugenii IV.* pro Armenis: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris*. Item in *Trid.* sess. 14. cit. n. 678.

682. II. Una ex praedictis jurisdictionibus absolute est necessaria ad validam absolutionem, ut patet ex *Flor.* et ex *Trid.* mox cit. *Ratio* autem est, quia absolutio a peccatis ex institutione Christi est actus judicialis; ergo qui vult aliquem valide absolvere, necessario in eum tamquam subditum debet habere jurisdictionem; haec autem Sacerdotibus non confertur vi suae ordinationis, ut dictum est n. 678. Hanc rem aliqua comparatione communiter declarant AA. cum *Laym.*: sicut enim qui Juris Doctor creatur, is potestatem quidem accipit judicandi de rebus in Jure controversis, vel ex cathedra publice docendi: haec tamen potestas eo usque incompleta est, et remota manet, quia in actum exire nequit, donec assignatis ei subditis, sive accepta jurisdictione Judex, vel designata ei cathedra Professor alicubi constituatur; simili fere modo Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi, sed eo usque incompletam, remotam et indeterminatam, quae in actum exire nequit, donec ea per potestatem jurisdictionis in certos subditos determinetur.

683. Porro hic notat *Laym.* l. c., quod in tribus casibus quilibet Sacerdos ex perpetua Ecclesiae consuetudine jurisdictionem obtineat. Primo, in mortis articulo super omnia omnino peccata, scil. si alius non adsit Sacerdos complete approbatus, ut n. seq. ex *Trid.* demonstrabitur. Secundo, super venialia peccata tantum; hoc autem in praxi hodie non tenet, contrarium enim declaravit *Congreg. Card.* in Decreto; *Cum ad aures* sub Innoc. XI. anno 1679. his verbis: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi et Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo Maximo rationem reddituros esse, neque futuram Episcoporum et Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu*. Ideoque talis absolutio certo illicita est; invalidam quoque eam censet *Platellius*. Communior vero cum *Sporer* de Poenit. n. 667. *Lugone* et *Cardenas* probabilius saltem validam judicat. Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1489.... Tertio, super mortalia, a quibus poenitens antea jam legitime absolutus est; non item super mortalia dubia, ut ait *La Croix* cum *Mendo* l. c. n. 1490.

684. *Princ. III.* Sacerdos approbatus, et habens jurisdictionem non

potest valide absolvere extra articulum mortis a casibus reservatis, nisi specialem etiam absolvendi ab illis potestatem obtinuerit; ideoque caute advertendum, quousque se extendat jurisdictio concessa, et quinam casus tum a summo Pontifice, tum ab Episcopo in sua Dioecesi sint reservati. Est autem *Reservatio* restrictio jurisdictionis necessariae ad absolvendum a certis peccatis. *Casus reservatus* est peccatum, a quo Confessarius inferior ob ablatam vel non concessam a Superiore jurisdictionem absolvere non potest: vel, ut ait *Reiffenst.* in Theol. moral. t. 14. dist. 9. c. 1. n. 1. *Casus reservatus est peccatum mortale externum, ad cujus absolutionem inferioribus Sacerdotibus jurisdictio non est concessa.* De casuum reservatione *Trid.* sess. 14. c. 7., postquam necessitatem jurisdictionis ad valide absolvendum exposuit, docet: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolventur. Unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Eadem sess. can. 11. ita definit *Trid.*: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

685. Dixi, *extra articulum mortis*: hanc enim exceptionem expresse facit *Trid.* cit. sess. c. 7. his verbis: *Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Quid vero agendum sit in aliis casibus necessitatis extra articulum mortis, ubi Superior conveniri nequit, dicitur in resolutione casuum.

Juxta *Pontas V.* absolutio casu 34. Sacerdos excommunicatus denuntiatus etiam in articulo mortis nec licite, nec valide potest absolvere, ut probat *Fagnano* per expressam declarationem s. Congr. Cardin. Conc. *Trid.* Interpretum, contra *Navar.*, *Paludanum*, *Silvestrum* et *Sotum*. Licitam et validam esse talem absolutionem, defendunt *Melch. Canus*, *Toletus*, *Bonac.*, *Azor*, quorum sententiam in praxi sequi suadet respectus ad salutem morientis.

686. *Princip. IV.* Ad hoc ut Sacerdos licite absolvat, requiritur in eo 1. Status gratiae, ut in T. de Sacram. in genere diximus n. 54. 56. 84. et seq. .... 2. Requiritur congrua scientia; cum enim Confessarius sit et *Doctor*, et *Judex*, et *Medicus* poenitentis, scire debet, quae ad triplex hoc officium pertineant.

687. *Princip. V.* Confessarii obligationes respectu poenitentis sunt sequentes: I. Confessarius, *per se loquendo* sub culpa gravi tenetur absolvere poenitentem rite confessum, et dispositum. Ratio est, quia poenitens per confessionem, quam voluntarie excepisse Confessarius supponi-

tur, acquisivit jus ad absolutionem, neque in dubio, quod in ejus favorem prudenter h. e. ex gravi ratione resolvi potest, illo privandus est; hac enim lege vel conditione confessus est poenitens, ut absolvatur, cui Confessarius hoc ipso censetur consensisse, quod audiverit peccata, nisi constaret, eum esse indispositum, aut nisi ex parte Confessarii sit defectus ex parte jurisdictionis ob occurrentem casum reservatum: ergo. *Confirm.* Si Confessarius pro libitu, et sine alia gravi causa, quam quia non vult, posset negare rite disposito absolutionem, hoc Sacramentum ex eo maxime redderetur odiosum. Vide *Suarez* de poenit. d. 32. sect. 5. n. 2. cum Communi. Dixi supra, *per se loquendo*: quia quandoque causae graves occurrere possunt differendi ad aliquod tempus absolutionem, ut patebit ex resol. cas. *Laymann* L. 5. t. 6. c. 13. n. 10. in *Dico III.* recte ac nerveose affirmat, quod Sacerdos poenitentem non absolutum sine gravi causa dimittere non possit, quia causa iudicii sacramentalis coepta est, quare et ipsi poenitenti onerosum, et sacramento indecorum est, si non perficiatur, cum commode perfici potest. Addit *Stoz* L. 2. q. 3. a. 1. n. 87., quod Sacerdos, si juxta vere probabilem sententiam possit absolvere, et tamen absque justa et gravi causa recuset absolvere, peccet tum contra charitatem negando hoc officium charitatis, tum contra justitiam, quia laedit jus, quod poenitens per legitime factam confessionem acquisivit ad absolutionem, et praeterea injuste ei imponit onus eadem peccata iterum confitendi.

688. II. Sacerdos sub strictissima et gravissima obligatione tenetur, sub sigillo servare ea, quae in ordine ad confessionem Sacramentalem ei sunt manifestata. Per hanc metaphoram (ut ait *Suar.* d. 33. ab initio) sive per sigillum confessionis intelligitur secretum illud, quod confessor servare tenetur de his rebus, quas in confessione audit. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. n. 1. definit hoc sigillum, quod sit obligatio servandi ea secreta, et tacita, quae accepta sunt ex confessione tendente ad Sacramentum poenitentiae, saltem secundum propositum poenitentis. Dixi 1. sub *strictissima obligatione*: quia sine expresso consensu poenitentis, nullo unquam casu, ullius boni consequendi, aut mali evitandi causa quodvis vel minimum peccatum, aut si quid aliud sub confessionis sigillum cadit, directe vel indirecte, ante vel post mortem confitentis sine mortali sacrilegio revelare licet. *Laym.* ibid. n. 2. Dixi 2. sub *gravissima obligatione*; quia haec oritur ex jure naturali, divino, et ecclesiastico. Ex *naturali*: ratio enim dictat, non esse manifestanda, quae alicui committuntur secreto, nec sine committentis incommodo manifestari possunt. Praeterea in confessione intercedit tacita pactio confessorem inter et poenitentem: hic enim peccata sua confitetur sub tacita conditione secreti, quod confessor tacite spondet hoc ipso, dum audit confitentem. Ex *divino*: hoc ipso enim, quod Christus peccatorum confessionem instituerit, voluit etiam, ut omnia peccata secure, et sine ullo mali extrinseci inde secuturi metu possint exponi, alias confessio difficillima et maxime odiosa redderetur; si enim vel in unico casu liceret revelare dicta in confessione, poenitens merito timeret, ne forte hic et nunc adesset causa revelandi. Denique obligatio sigilli stabilitur a jure *Ecclesiastico*, uti patet ex c. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss. desumpto ex c. 21. Conc. Gener. Lateran. IV. ubi praecipitur; *Caveat Sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem: sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat: quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Ex dictis liquet, quod fractio